

De latinitate

G. Solli Apollinaris Sidoni.

Particula I.

De latinitate

G. Zölll Apollinaris Sibon



Decrescentis ac iam decrepitae latinitatis scriptoribus subsicivum me tempus impendentem quoniam Afrorum in dicendo tumoris et exsuperationis satietas taediumque ceperat, non tam grammatici vel literarii studi ulla ratio quam abstrusae et implicatae lectionis curiosa quaedam cupiditas advertit ad extremae aetatis scriptores Gallos. Gallicanae facundiae cum procul dubio princeps esset Q. Aurelius Symmachus, tamen potior mihi visus est digniorque in quem inquirerem G. Sollius Apollinaris Sidonius, idque multis de caussis. Namque Symmachi epistolae et a multis inde a medio aevo lectitatae sunt propter gravitatem rerum ad antiquitatem pertinentium et iam exstat lexicon Symmachianum. Sidoni non defuerunt quidem qui opera vel ederent¹ vel verterent² vel pertractarent,³ ut inde temporum rerumque imaginem adsimularent literis eius conceptam et expressam: de elocutione eius non est qui accuratius quaesiverit. Idem quamvis sine controversia nonnunquam fatiget vel deterreat legentem affectatae compositionis taediosa mole, tamen habet multa, quae et dictionem tolerabilem et ipsum gratum faciant iis qui legunt. Nam, praeterquam quod varia scribendi genera attigit, et materiae est aliqua iocunditas propter maximam varietatem personarum caussarumque, quas tractat vel tangit, et ipse etsi addictus fidei Christianae ab antiquitatis studiis indole forma adeo non alienatus est, ut totus imitatur praeteritorum temporum consuetudini nec fere nisi raris locis dinoscere possis episcopum eum fuisse Arvernorum. Praeterea optimarum artium studiis eruditissimus erat idemque regendae reipublicae Romanorum civitatisque Arvernorum bello aut pace haud expers fuit, multumque viri ipsius studium inde excitatur, quod ortus ex familia Gallica, nobilitate inter Romanas insigni, dignitatumque altissimis gradibus proventus inter assiduas barbarorum incursiones mediisque in gentibus Germanis variae originis atque extremae barbariae vitam degit turbulentam.

De elocutione autem Sidoni scripturo mihi antea quasi in vestibulo commentationis paucis explanandum videbatur, qui fuisset tempestate eius literarum et linguae latinae in Galliis status, quam scribendi rationem normamque vel consilium ipse esset secutus: ita tamen ut ea tantum inspicerem adhiberemque, quae ipse epistolis suis carminibusque de ea re memoriae prodidit.

¹ Jô. Savaro: ed. c. comm. Paris. 1609. — J. Sirmondus notæ illustr. Paris 1652. 4. Editionis Sirmondianae numeros secutus sum in referendis paginis.

² Oeuvres de C. Sollius Apollinaris Sidonius trad. en Français par F. Gregoire et Z. Colombet. Lyon, Rusand 1836. III voll.

³ Fertig: Sidonius Apollinarius und seine Zeit. 3 Progr. Würzburg. 1845 sq. G. Kauffmann: Die Werke des etc. als eine Quelle für die Geschichte seiner Zeit. Inauguraldiss. Göttingen 1864. A. Germain, essai sur Apoll. Sidon. Montpellier 1840. Chaix, Saint-Sidoine Apollinaire et son siècle. Clermont Ferrand 1867—68.

Gallicano cothurno cum Sidonium quoque attolli⁴ appareat, primum quae de Gallorum tunc studiis rhetoricis per occasionem affert, nos comprehendamus. Sed ne longius deflectamus ad res vulgatissimas, satis erit revocare ad percipiosam de ea re commentationem (C. Monnard: de Gallorum oratorio ingenio, rhetoribus et rhetoricae Romanorum tempore scholis. Bonn 1848.) et ad principales Sidoni locos epp. II 10. III 3. IV 16. 21. V 5. 10. VIII 3. 6. 11. carm. XXIII 211. Hoc igitur constat, circa Sidoni aetatem summa studiorum frequentia floruisse Gallias maximeque sermonis ubertate ac nitore fuisse celebres, itaque rhetoricae inprimis institutionis saepissime fit mentio cf. ep. IV 21. carm. XXIII 211, ubi Consentium amicissimum sibi vorasse praedicat

Quidquid rhetoricae institutionis

Quidquid grammaticalis aut palaestrae est.

Ceterum ipsa extrema eius aetate praecipitem ac repentinam factam esse rerum ante florentium mutationem ex multis locis colligi potest, atque ingruentis barbariae ruinaeque literarum, quas ipse deplorat animo praesagiente, rationem habere debet is, qui iudex et existimator aequus scriptoris merita examinare volet. Bene vero de puriore sermone latino meruisse Apollinarem monuerim eum, quem eiusdem inexplicabilis difficultas vel invidiosa affectatio deterruit. Etenim si cum aliquo ex superioris aetatis scriptoribus eum comparaveris, qui stante republica Romana vigenteque lingua vixerunt, velut cum Apuleio: prae istius infreni novandarum vocum licentia vel exaggerandae dictionis libidine nonne laudabilis videtur huius observantia pudorque nimis licenter fingendi vocabula? Certe aut me electi scriptoris amor quidam fefellit aut aequalium nemo servatae latinitatis laude dignior unquam fuit. Itaque iure consona praeconia eorum, qui cum eo vel paulo post fuerunt, Sidonium nobilitant, velut illud: *Vale et vige bonis viribus veteris reparator eloquentiae*⁵ vel illud:

Arva tuis scriptis vernant Arverna, Sidoni,

*Et veteris linguae tu reparator eras.*⁶

Deficientium vero literarum cur reductor ac reformatior dici potuerit, paucis exponere iuvat. Plurifariam studia rhetoricae maxime artis, totius Galliae concursu ante concelebrata, imminui ac deseriri queritur (cf. ep. II 10. *incuria vulgi*, V 10. *pauci nunc studia honorant*) indeque factum esse, ut purus sermo latinus barbarismorum interspersis maculis dehonestaretur: cuius servandae proprietati et ipse impensam operam dabat et alios adhortabatur. *Proprietas linguae latinae*, inquit ep. III 14, *iudiciis otiosorum maxime spreto est, quorum scurrilitati negligentia comes*. Multitudinis in loquendo indiligentiam curaeque grammaticalis despicientiam etiam illa ostendunt saepius per occasionem interposita velut ep. IV 3 *quemquam mortalium, cui tamen sermocinari latiariter cordi est*, vel IV 17 *sermonis pompa Romani, si qua adhuc uspiam est*, vel V 10 *Qua propter si quis post vos latinae favet eruditioni*. Itaque ipse copiosissimum et amplissimum sui laboris literarii fructum se adepturum fuisse eoque contentum fore dictitat, si vidisset inde excitata iuniorum ingenia in literarum disciplinam succrescere ep. II 10 in. Tantum enim increbuisse multitudinem desidiosorum ibidem conqueritur, ut nisi paucissimi quique meram latiaris linguae proprietatem de trivialium barbarismorum robigine vindicarent, eam brevi abolitam interitamque (sic!) deflere possent: sic omnes sermonum purpuras per incuriam vulgi decolorari. At quamvis tantam literarum linguaeque negligentiam videret, tamen ipse nihil detraxit subtili in limanda oratione curae, (ep. II 10 extr. *oris limam frequentium studiorum cotibus expolitam*) id unum metuens, ne sibi deesset

⁴ Hieronym. ad Paulin. *Hilarius Gallicano cothurno attollitur*.

⁵ Claud. Mam. in praefatione de statu animae.

⁶ Petrus Pictavensis in panegyrico ad Petrum Arvern. Venerabilem.

legentium atque intellegentium circulus. Itaque illud solatur ep. VIII 2 *Aliquid scribere assuetis (sc. nobis) quodque venturi legere possint elaborantibus, saltem de tua schola seu magisterio competens lectorum turba proveniet.* Neque tamen solus in tuenda linguae latinae pura et incorrupta consuetudine elaboravit: „generosae illius diligentiae“ si quos adiutores habuit, summis laudibus extulit, velut Joanni, in Galliis literarum professori gratulatur ep. VIII 2 *Credidi me, vir peritissime, nefas in studia committere, si distulisses prosequi laudibus, quod aboleri tu literas distulisti, quarum quodammodo iam sepulcrarum suscitator fautor assertor concelebraris teque per Gallias uno magistro sub hac tempestate bellorum latina tenuerunt ora portum, cum pertulerint arma naufragium.* Atque hoc illud cum miserationis tacitae dolorisque quodam affectu legentis animum permovet, quod Sidonius non minore industria vel amore emorientem latinitatem amplectitur, quamquam et sentit et videt Romanae non tam reipublicae quam universitatis ingruentem ruinam: sive deplorat „artes per aetatem mundi iam senescentis, lassatis veluti seminibus, emedullatas ep. VIII 6, sive moeret rem Romanam in haec miseriarum extrema defluxisse ep. III 8, sive monet Rheni accolam, ut, etsi apud limitem ipsum latina iura cecidissent, verba ne titubare sinat ep. IV 17.

Neque illud in pensitanda Sidoni dictione praetermittendum est, quod non Romani generis proles erat nec ingenerata linguae latinae proprietates aut confirmata sermonis quotidiani ac domestici consuetudine, sed partim institutione grammatica tradita, partim subtiliore literarum cognitione ac multa lectione alita, partim continenti labore observata. Ita non facile profluit oratio, sed quasi durius incedit, artis et operae assiduae limam praese ferens: quam ubi omittit, consueti sermonis indoli indulgens, incidit in „sermonem usualem“ multo sibi usu faciliorem cf. ep. IV 10 *reliquas denuo literas usuali, licet accuratus mihi melior non sit, sermone contexo. Non enim tanti est, poliri formulas editione carituras.* Sidonio literarum studiis eruditissimo linguaeque purae studiosissimo homini si tanti laboris erat recedere a dictionis vulgaris ac depravatae consuetudine, quid de ceteris origine loco doctrina insignibus, quid de vulgo iudicabimus? Illum vero sermonem usualem statuimus fuisse latinum quidem sed rudem et incultum et Celticorum barbarismorum maculis interspersum quique grammaticam eruditionem desideraret, ut perpoliretur et ad puram latinitatem conformaretur.

Neque vero unius idiomatis contagioni obnoxia erat latinitas, sed iam duorum: quorum propago scriptor noster erat, ipsi illi Arverni, qui „fratres se Latio dicere quondam audebant“ ep. VII 7, Celticae originis ipsi, iam Gothorum Burgundionum Francorum tunc incursionibus inquietabantur, tunc obsidione vel ditione tenebantur. Quingenti quidem anni numerabantur, ex quo Gallia sub Romanorum iure legibusque vivere assuefacta est neque ita multo pauciores, ex quo deposita barbarie simul cum lingua latinae humanitatis speciem induerat. At vulgus hominum ea eruditione leviter tantum imbutum erat; iam Sidoni aetate quid de multitudine statuendum existimabimus, si de principibus scriptum videmus in epistola ad Heedecium data III 3 *Tuae personae quondam debitum, quod sermonis Celtici squamam depositura nobilitas nunc oratorio stilo nunc etiam camoenalibus modis imbuebatur.*⁷

Atque eius latinitatis in fundamento Celtico vacillantis status quantopere infestatus ac labefactatus sit Germanorum undique circumfusorum dominatu cum ex ceteris locis compluribus⁸ tum maxime ex epistola ad Syagrium missa V 5. cognoscitur.

⁷ Non incommodum videtur conferre locum ex Irenaei adv. haeres. lib. I. praef. *Non autem exquires a nobis, qui apud Celtas commercamur et in barbarum plerumque sermonem avocamur, orationis artem quam non didicimus.*

⁸ Epp. VIII 2 *te docente formati institutique iam sinu in medio gentis invictae quod tamen alienae talia vetustorum signa retinebunt.* IV 17 ubi gratulatur Arbogasti Franco, quod in eius pectore illustri vanescentium literarum remansissent vestigia: *polor Mosellae Tiberim ructas, sic barbarorum familiaris quod tamen nescius barbarismorum.*

Is cum amplectendo Germanicam linguam dediscere videretur latinam⁹ monetur a Sidonio in hunc modum *ibid.*: *Restat hoc unum, vir facetissime, ut nihilo segnius, vel cum vacabit, aliquid lectioni operis impendas custodiasque hoc, prout es elegantissimus, temperamentum, ut ista tibi lingua* (sc. Germanica) *teneatur ne ridearis, illa* (sc. latina) *exerceatur ut rideas.* At quam difficile fuerit a se removere circumsedentis barbariae undique influentem consuetudinem totumque se dare literis perpetuo sollicitatum hostili incursione, versus Sidoni haud inlepidi declarant, quibus ipse se miseratur *carm. XII 3*

Inter crinigeras situm catervas
Et Germanica verba sustinentem
Laudantem tetrico subinde vultu
Quod Burgundio cantat esculentus
Infundens acido comam butyro.
Vis dicam tibi, quid poema frangat?
Ex hoc barbaricis abacta plectris
Spernit senipedem stilum Thalia
Ex quo septipedes videt patronos.

Exposuimus fere literarum linguarumque, quae fuerunt in Galliis, statum atque conditionem. Examinantes vero scriptoris orationem non minore nos cura persequi oportet, de scribendi ratione sua quid ipse existimaverit, quam regulam optimam et arbitratus et secutus sit, quos in dicendo imitandos sibi proposuerit.¹⁰ Multo autem facilius quid insecutus sit ipse, ex iis colligi potest quae in aliis statuit, quam quae de se ipse iudicat, quoniam ipsius iudicium mirum quantum restringit ac moderatur officiosa quaedam modestia: sive parum cultius se scribere posse profitetur *ep. IX 11 extr.*, sive se dicit indoctum esse, ita tamen qui dicere ignoraret, non et audire *ep. IX 9*, sive memorat nugas suas confectas opere prosario *ep. III 14* vel quidquid peraravisset stilo rusticante *ep. VII 2*, sive non urbanum leporem, sed paganam simplicitatem inesse in libellis suis excusat *ep. VIII 16*, sive precatur amicum, ut donaret venia paginam rusticantem, cui si istius libris compararetur, stilus infantissimus inesset *ep. IX 3*. Itaque illud quoque modestius quam verius dictum esse accipiemus, quod scribit *ep. VIII 16*. *Nos oposcula sermone edidimus arido, exili certe maxima ex parte vulgato, cuius hinc honor rarus quod usus frequens,* vel ubi excusat sensuum structurarumque levitatem *ep. VII 18*, hoc unum sibi sumens, „nullam culpari posse aut distinctionum raritatem aut frequentiam barbarismorum *ep. X 11*.¹¹

Ac primum illud non significavit sed haud ambigue professus est, dicendi genus molle et

⁹ l. c. in. *Immane narratu est, quantum stupeam sermonis te Germanici notitiam tanta facilitate rapuisse . . . velim dicas unde subito hauserunt pectora tua euphonia gentis alienae . . . te praesente formidet facere linguae suae barbarus barbarismum.*

¹⁰ Imitatorem Plini se esse locis compluribus profitetur cf. *epp. I 1. Q. Symmachi rotunditatem, C. Plini disciplinam maturitatemque vestigiis praesumptuosius insecuturus. IV 22 Plinio discipulus asurgit. IX 1 eo quod C. Secundus, cuius nos orbitas sequi hoc opere pronuntias* etc. Iam singula, quae ex Plini epistolis vel transtulit vel assimilavit, Sirmondi et maxime Savaronis cura suis locis annotata sunt. — Iam qua ratione, quo tempore epistolas conscripserit collegeritque cf. *epp. VII 18. VIII 1. 5. 16. IX 11.*

¹¹ Quae vineta oratione composuit, ea comparare magis quam seorsum inquirere institui: quod genus scribendi ipse minus sibi vel promptum vel gratum esse saepius memorat cf. *epp. IV 11. IX 12. 13. 15*, unde etiam illud *ep. IX 16*.

Quod (sc. carmen) perhorrescens ad epistolarum
Transtuli cultum genus omne curae.

Quid summae auctoritatis viri eruditissimi iudicent, illud Gibbonis illustret, *history etc. vol. VI ep. 36. not. 79*: If Jerom was scourged by the angels for only reading Virgil, the bishop of Clermont, for such a vile imitation, deserved an additional whipping from the Muses.

fluidum se aspernatum esse, si quidem, inquit ep. VIII 16, lectori non tantum dictio exossis tenera delumbis, quantum vetuscula torosa et quasi mascula placet, indeque etiam teneros cantilenarum modos fugiens plurimum temporis se impendisse praedicat epistolis,

Quas cantu ac modulis luxuriantibus

Lascivire vetat mascula dictio. (ep. IX 13 carm.)

Sed optime ex iis, quae in aliis vel miratur vel reprehendit, efficere nos quidem possumus, quam orationis speciem ipse optimam duxerit cuique ipse studuerit. Itaque omnia illa, sive sunt vitia sive virtutes orationis, quae in percensendis aequalium libris notat, ipse quoque affectavit immodiceque frequentavit. Lampridium rhetorem cum summis laudibus non verbis qualibuscunque, sed grandibus pulchris elucubratis uti dicit ep. VIII 11; Fausti papae effert dicendi genus limatis plurifariis verbis eminentissimum. Deinde cum ipsius quoque ratio tota innitatur in studio taediose producto opponendi et exacuendi et exaggerandi verba ac sententias, non mirum est quotiens occurrant in aliis illa ep. VIII 10 (ad Ruricium) flamma sensuum unda sermonum vel ep. VII 13 (ad Lupum) medulla sensuum spuma verborum, vel (ep. IX 7 (ad Remigium Remensium) pondus in sensibus, flumen in verbis, fulmen in clausulis: quibus adde ep. IV 11 reluctantium syllogismorum contrarietates, vel ep. VII 9 scintillas controversialium clausularum et ep. VIII 11 non pauca piperata, mellea multa, omnia tamen salsa. Ipse immoderatus est in translationum usu; inde etiam in Fausto dictandi tropologicum genus ac figuratum ep. IX 3 immane se mirari dicit. Ipse variis atque subtilibus artificiiis distinguit orationem quasi luminibus, velut verbi paullo immutati ac deflexi crebra repetitione impensamque operam tribuit verbis collocandis, quae conclusionem levi et quasi coagmentata vult illigari atque astringi. Eadem fere sunt, quae in declamationibus Remigi adamavit ep. IX 7. dispositio per causas, positio per literas, compositio per syllabas . . . structura vero fortis et firma coniunctionumque perfacetarum nexa caesuris insolubilibus, sed nec hinc minus lubrica et levis ac modis omnibus erotundata . . . tota denique liquida prorsus et ductilis . . . eloquium exundans et ineffabile . . . dictio ordinatissima.

His fere quoniam principia quaedam quaestionis absolvi, sequitur ut rem ipsam aggrediar. Atque dissereudi de latinitate Sidoni eam ferme observavi rationem, ut primum lexicon scriptoris componerem eo pacto ut omnia vocabula rariora vel nova, antecedentis vel sui ipsius aevi propria complecterer eique parti quae de singulis notanda erant separatim adiungerem, velut de deminutivorum parvissimo vocationumque graecarum haud immoderato usu vel quae de novandarum vocationum licentia ipse ep. ad carm. XIV pronuntiat. Deinde syntaxis constituenda erat, i. e. colligenda ea, quae de casuum vel temporum vel particularum vel pronominum usu digniora memoratu videbantur. Ac ne leviora quidem omittenda arbitrabar, quae tamen suum colorem orationi inducunt, velut appellationum accurate observata sollemnitas vel fidei Christianae in vocibus figuris sententiarum singularis proprietas. Nam vulgaris, sive ut Sidonius ipse dicit, usualis in Galliis sermonis, qui a sincera lingua potius dixerim Romana quam latina in provincias derivatus est, ne vestigia quidem inveni: nisi forte quis pauca rerum nomina Gallica vel proverbia eo refert.

Verum illa scrinia mea tenent tenebuntque. Hic nos paucis quae insequuntur paginis quoniam contineri oportet, quaedam proferemus de Sidoni compositione. —

Ac primum masculam dictionem cum unam omnium potissimam sibi quaereret, ut, qualem Lampridium rhetorem fuisse praedicat ep. VII 11 fortis et lacertosus scriptor existimaretur, iudicio lapsus incidit in vitium orationis molestissimum. Cumulandis enim et exaggerandis verbis restitui voluit orationis vim tantaque immoderatione usus est, ut non mascula existeret dictio, sed turgida verborum voluminibus et fastidiosa et obscura nonnunquam. Simplici appellatione cuiuslibet rei parum contentus longa ac difficili verborum ambage rem variat; ubi rerum varietas nulla est, verba certe variantur non tamen altius atque altius insurgentia, quorum acervo non allevamur sed opprimimur, ut ipse sibi in dicendo obstrepere videatur. Neque magis illa delectamur sensus

oppositione inani ac futili, quam variandi gratia quaesivit atque in meras ineptias saepius produxit. Nos vero cum virum multiplici doctrina instructum labascentis linguae remedia de consilio quaerentem tantum a recta norma aberrare videmus nescio quo pacto admonemur vocis illius, qua senescentis mundi emedullata quasi semina deflet ep. VIII 6. Neque enim ad antiquum robur reducere potuit orationem sine ingeniorum fecunditate; decrescens aevum sterile aut iners, cum deessent ingenia suis ipsorum viribus vegeta et efficacia, nihil forte et nervosum et virile concipere aut ex se ipso parere potuit. Eius tumidae tumoreque putidae orationis speciem exprimere non possumus, nisi forte totas epistolas transcribere in animo est: adumbrandae certe optime inserviant exempla pauca desumpta ex epp. I 5. 8. 9. II 1. 2. 13. III 2. 3. 13. IV 1. 3. V 7 etc. Quantopere locorum per se haud ambiguum si minus obstruatur at certe oneretur cognitio, documento sit ep. I 5, ubi Padi stagna Ravennae aquam potu salubrem non praebere haec verborum turba significat (Sirmond. pg. 11.) *cum . . . cloacali pulve fossarum discursu lintrium ventilata et ipse lentati languidus lapsus humoris nauticis cuspidibus foraminato fundi glutino sordidaretur in medio undarum sitiebamus.* Nec miramur locos per se difficiliore iam ipsius amicis (taceo de translatoribus, quorum aliquot errores collegit Fertig l. c. particula II. pg. 14. 16. 22.) parum esse intellectos.¹²

Ita latinae orationis dilucidam illam atque pressam perspicuitatem, quod proprium ac principale decus a Cicerone omnes facundiae praeceptores vindicabant, funditus perdidit. Multo autem eius dictionis cumulatae et implicatae cum voluit amplificare gravitatem et quasi excelsitatem, auxit difficultatem molestam mole ac congerie quadam vocabulorum gravius sonantium ac paene enormium. Ex innumerabilibus fere quae suppeditant, pauca exempla desumam. Iam incunte prima primi libri epistola Constantio suo plures se epistolas missurum pollicetur, at quantis verbis, quam vastis, quam inusitatis! *volumina numerosiora percopiosis scaturientia voluminibus tibi multiplicabuntur;* similia in balnei descriptione ep. II 2 *convenientibus mensuris exactissima spatiositate quadratur,* vel de Metauro ep. I 5 *Dalmatico salo cadavera sanguinolenta decoloratis gurgitibus inferret,* vel ep. III 6 *vestrum est, expectationem nostram competentibus dispositionibus munerari,* vel in illa epistola vix unius paginae ep. II 11 data ad Rusticum amicum loco a se disiunctum, quae tota exhibet adipatae quodammodo dictionis tarditatem: *praesentia mutua vasti iūneris longinquitate discriminaretur . . . separata utrimque porrectioribus terminis habitatio . . . ex ipsa communium municipiorum discretionem raritatem colloqui . . . de proluxa terrarum interiectione venientem etc.*¹³

Denique quum omnibus extremae aetatis scriptoribus tum ecclesiasticis familiare est frequentare substantiva quae dicimus abstracta. Nam et ipsorum vocabulorum granditate et pondere ducebantur et alienati ab antiquorum expressa brevitate non tam exprimendae rerum imagini studebant quam rebus sensu carentibus: in quibus vocibus inest et meditandi et eloquendi praegrandis

¹² Tautologiae simplicis ubivis adhibitae specimina haec sufficiant epp. I 5 Padus dividua fluente partitur. III 1 sanguinis iuncti necessitudo. IV 11 reluctantium syllogismorum contrarietates. VII 10 conspectus tui contemplatione potiat. III 1 huius anguli proprietate potiat. VIII 11 gemino obtuto eluminatus. VIII 14 fragrantissimum incensum adoletis.

¹³ Eiusmodi vocabula vasta cum pondere quodam auribus se inferentia studiosus etiam in carminibus captasso videtur; hinc illa:

Hellespontiacis circumclamata procellis c. II 577.

Hellespontiaco persultavere profundo c. V 455.

Bellerophontacis insultaturus opimis c. V 184.

Innumerabilibus legionibus imperitabant c. II 204.

Innumerabilium primordia philosophorum c. XV 43.

Sollicitudinibus vehementibus exagitaris c. VII 536.

Argumentosis dat retia syllogismis c. II 175.

quaedam sublimitas. Idem dicendi genus mirum in modum Sidonius quoque adamavit neque haud scio an ulla re nativae ac simplicis latinitatis gratiam ac venustatem magis decoloraverit. Taceo de illis, quae compellationis officio (sive *titulorum rubricis* cf. ep. VII 12) exigebantur, velut nostra mediocritas humilitas parvitas et vestra celsitudo altitudo beatitudo, quamquam illa quoque foeda sunt auditu. Omitti etiam possunt, quorum iam ante haud infrequens est usus (epp. I 5 antiquitas pontes . . . fornicavit. I 11 innocens . . . nobilitas periclitetur. II 3. III 3 in. 6 extr. amor universitatis): ad haec intendantur animos, quibus certe adumbretur dictionis Sidoniana proprietates epp. I 3 *mussitat iuvenum calcata generositas*. I 9 *utrumque arctabat clientum praevia populositas*. III 3 *caesorum numerositatem oeculere*. IV 10 *frequentiam officii servare*. I 9 *erga expediendas forinsecus ambientum necessitates* (i. e. candidati necessitate aliqua iuncti). II 2 *michi tribue veniendi celeritatem*. VI 3 *excudere responsi celeritatem*. IX 9 *excudere praeconii necessitatem*. II 2 *nullo peregrinarum cautium rigore ditamur* (i. e. caremus marmore peregre devecto) *ibid. extr. ita ut arborum comis superiectae asperginis fragor impluat. ibid. salicum fota semper dulcibus aquis amaritudo*. IV 6 *apud animorum matronalium teneritudinem*. ep. ad carm. XIV *omissa ephitalamii teneritudine*. VIII 10 *aegrotantis animae fragilitatem premere*. III 3 extr. *assiduitatem tuam regum familiaritate exime*. VII 1 *assiduitatem incendii restingui posse*. III 5 *praedii . . . desolatam medietatem*. *ibid. ut ad soliditatem istius curis perveniat*. V 9 *Galliarum praesuit soliditati*. III 13 *verbis inverecundis aurium publicarum reverentiam incitant*. IV 11 *oborta quaestionum insolubilitate labyrinthica*. VI 12 *pro reperta spicarum novitate*. VI 9 *literarum mearum obsequium reportat*. IV 18 *oblato huius obsequii* (i. e. versuum a se rogatorum); denique illa epp. III 1 *si vestra crebro illud praesentia invisat*. IX 12 *si me occupat levitas versuum, quem respicere coeperat gravitas actionum*. IV 13 *dumorum vallat asperitas*. VII 12 *opulum festivitas publica facit*. IX 6 *quantum de bonusculis avitis sumptuositas domesticae charybdis abligurrisset*. IV 4 *adest promissio mea, expectatio vestra* (sc. Faustinus): quorum substantivorum partim inde oboritur insolentia, quod quasi actus et animi iis tribuuntur (cf. Quint. instt. orat. VIII 6. 11.).

Est etiam haec quaedam insolentia, qua a sermone quotidiano distinguit orationem, quod substantivis adiungit adiectiva licentius vice genitivorum et subiectivi et obiectivi qui vocantur. Huc refer epp. I 9 *materni reditus*. I 5 *amnici margines*. I 8 *bibitor Araricus*. *ibid. ranae municipales*. I 9 *domestici candidati* (i. e. qui nobilium domos circumsident). I 11 *compellatio Augustea*. II 2 *hospitalis turba*. *ibid. inclementia canicularis*. *ibid. armentalis camena* *ibid. salares in consanguineas aguntur insidias* (audaci ideoque acceptissima brevitate nec obscura pro: salares sui generis pisciculis inescantur.) VII 5 *spectatissimus adventus tuus*. II 14 *usque ad adventum hirundineum vel ciconium*. *ibid. otium fuliginosum et quies tunicata*. VI 8 *fatigatio locaticia*. III 13 *esculenta ructatio*. VI 11 *praesentanea coram oratione*. VIII 13 *memoratu praesentaneo*. VII 12 *curam subisse spontaneis cervicibus*. VI 12 *mediterranea largitas* (paulo infra memorat largitiones urbibus maritimis tributas). IX 6 *Ulysses ceras auribus figens fugit . . . meretricii blandimenta naufragii*; denique IV 21 *civicarum baiulabare pondus ulnarum*, quod e contextu verborum interceptum paene interpretationem desiderat; est autem fere: infans manibus civium portabaris. — Simillima his sunt ea, quas enallages specie comprehendimus velut epp. I 9 *dignitatum sera numerositas* (i. e. magistratus multi sed sero mandati). II 2 *nuda pictorum corporum pulchritudo*. III 13 *alarum specubus hircosis*. IV 21 *vagientis infantiae lactentia membra*. V 8 *eloquii salsa libertas*.¹⁴

Atque hanc orationem pinguem nitidamque summa contentione perpolivit, ut eandem concinnaret suaviter atque aequabiliter fluentem. Istam verborum coniunctionem campactam volubilemque exemplis exprimere longum est, ex quibus omnibus hoc elucet, impense eum affectasse, quod in aliis etiam suspicit, sonum rotundae ac quasi circumtonsae sententiae vel etiam ad unguem

¹⁴ Ex carminibus cf. ep. VIII 9 carm. Phoebea tumeat propinquitate. ep. VIII 11 carm. tyrannicarum declamatio controversiarum, praeterea carm. II 209. 513. 532. V. 458. XXIII. 229.

factae, qualem in Remigi declamationibus fuisse hoc verborum cumulo praedicat (sitque hoc ipsum collocationis verborum exemplum) ep. IX 7 (structura) *ductilis, veluti quum crystallinas crustas aut onychintinas non impacto digitus ungue perlabitur, quippe si nihil eum rimosis obicibus exceptum tenax fractura remoretur.*

Neque vero id tantum egit, ut omnia suavissima essent vocibus, sed etiam ut forma concinnitasque conficeret orbem suum: quapropter continuationem verborum multis distinxit et aequalibus articulis membrisque, tanta cum diligentia, ut non membra tantum essent modificata, verum etiam singula verba verbis quasi demensa ac paria responderent. Ex immensa talium locorum multitudine ad illustrandam certe orationis articulosam aequabilitatem exemplis contineamur paucis. ep. I 5 in. *fluvios poetarum carminibus illustres aut urbes moenium situ inclytas aut montes nominum opinione vulgatos aut campos proeliorum replicatione monstrabiles.* epp. III aut *aggeres saxis asperos aut fluvios gelu lubricos aut colles ascensu salebrosos.* IV 1 aut *ad paludicolas Sicambros aut ad caucasigenas Alanos aut ad equimulgas Gelonos.* I 9 *Deus bone, quae ille propositionibus aenigmata, sentiis schemata, versibus comata, digitis mechanemata facit.* ibid. *Avieni animus totis et cito sed infructuosius, Basili paucis et sero sed commodius aperiebatur,* denique VIII 12 *magnis flagitatum precibus, parvis separatim spatiis, multis expectatum diebus:* in qua sententia triplici modo illigata non solum verborum sed etiam syllabarum par numerus accuratissime dinumeratus est.

Verum eius ipsius orationis articulis paribus numeroque modulatis devinctae cum quadam aequabili circumactione invidiosus fit cursus, si laborat perpetuitate nimia. A qua Sidonius ita non potuit recedere, ut taediosissima nobis sit eius loquacitas membratim producta ac sine fine profuens, quam et animorum iudicio et aurium satietate repudiamus. Hinc illa, quae tota transcribere supersedemus, velut in ep. III 13, cuius una pagina (Sirmondi pg. 79) quatuor eius immodicae concinnitatis exempla continet, quorum unumquodque per compluria membra productum est, velut ep. IV. 1 *heroicus arduum* etc. sexies relatum, vel ep. IV 11 *consiliarium in iudiciis* etc. octies repetitum totidemque illud ep. IV 21 *dorsa pascuis*, vel ep. IV 3 *cum Orphro plectrum* etc. undecies et ibidem paullo infra *sentit ut Pythagoras* etc. duodeticies paribus enunciatis continuatum. At omnium longe abundantissima exemplis dignissimaque quam inspicat, si quis hanc Sidoni proprietatem gustare volet, est ep. V 7 (pg. 135. 136.) Scatet enim talibus argutiis adeo ut si acriter numeraveris, centum facile compleas inveniasque sententias (velut illam pg. 135 *otta tunicatis, stipendia paludatis* etc.), quas nec animae vires patiantur si legas, nec oculorum si conspectu comprehendas.

Neque tamen hac membrorum aequalium continuatione contentus, auxit facundiae currentis modulatum ac suavitatem concentu multimodo verborum, nec ferme ulla est huius generis figura, quam non immodice frequentaverit. Quoniam vero plerumque talis vocum consonantia affectari non solet quin etiam sensu valeat vehementi et acri, venia nobis ante petenda est, si huiusmodi exempla parum accurate discriminamus a contentione sive antithetis. Ac primum quidem in initiis verborum unius vel duarum literarum concentus tam frequens est (neque is fortuitus est sed curam fatetur) ut paucis exemplis eius mentionem facere satis sit cf. II 2 extr. *ager . . . pictus in pratis, pecorosus in pascuis, in pastoribus peculiosus.* ibid. *arbiter et artifex* ibid. minime *aestuosum maxime aestivum.* IV 1 *corda cornea.* ibid. *igneo ingenio.* VII 4 *intermina intercessione conferre comperi.* VII 6 *armis potens, acer animis, alacer annis.*¹⁵

Deinde haud infrequentius verbum verbo quaerit simile aut per omnes aut certe per plurimas maximeque extremas syllabas consonans, aut etiam nomini praedicto subiungit vel idem casibus declinatum vel propinquum originatione derivatum. Cuius generis nugae sine dubio sunt facetae et gratae si sunt non captatae sed oblatae modestaeque adhibitae nec in iis vox tantum

¹⁵ Similia ex carminibus cf. I 3. 6. II 2. 12. 15. 23. 147. 232. 252. 400. 547. V 4. 15 241. 329. 334. 392. XXIII 36. 40. 67. 353. 355. 357. 375. 404. 480. etc.

consonat sed etiam valet sensus: at de Sidonio neutrum affirmare licet. Primae speciei adscripserim illa epp. I 2 *venanti . . . vianti*. I 1 versusum *felicis* quam *peritius* editorum. II 1 in *concilio* iubet in *consilio* tacet. III 8 *morari . . . mereri*. IV 3 quae *voluit* affirmare sic *valuit*. IV 8 si nondum *terebat* labore, iam tamen expectatione *terrebat*. IV 9 non *tetra* sed *tetrica*. IV 18 *Gloria magna viri gratia parva loci*. IV 22 *facilius suspicere* quam *suscipere*. *ibid. facta . . . pacta*. IV 23 *voce . . . vice*. IV 25 *praedae praedia* fore. VI 12 qui omnes *consoleris* infirmos quique ab omnibus *consularis*. VII 2 *sedulitas . . . sodalitas* (cf. *carm. XXIII 480* cuius *sedulitas sodalitasque*). *ibid. spes opesque*. VII 6 *vanitatis . . . veritatis*. VII 7 extr. *hostibus . . . hospitibus*. VII 12 *Attilam Rheni hostem*, *Thorismumdum Rhodani hospitem*. VII 14 *mole* quam *mente*. *ibid. nec formica formidat*. IX 14. VII 16 et *amoris* et *moris* (Symm.). VIII 3 non tam *fonte* quam *fronte*. *ibid. molibus motibusque*. VIII 6 in. *artis arce* *ibid. spernit . . . sternit*. VIII 7 non *nummorum* libra sed *morum . . . sic vitis* ut *divitis* incubantes. VIII 8 non tam *honore* *ensor* quam *census onerare*. VIII 11 *patrimonio . . . matrimonio*. *ibid. plenius planiusque*. VIII 13 sese per *aeterna saecula aequiterna supplicia*. *passurum*. IX 7 *flumen* in verbis *fulmen* in clausulis. (*carm. XV 22* restinguit *flumine fulmen*). IX 13 cum *severitate . . . cum serietate*. IX 14 *favescentes . . . foventes*.

Iam derivatione variata sunt epp. II 13. *negotium* principis et *otium* senatoris. V 14 vel *otio* vel *negotio* vacas. I 1 non *studiorum* modo verum etiam *studiosorum*. I 7 praefecturam primam gubernavit cum magna *popularitate*, consequentem cum magna *populatione*. I 8 *territorium* quam *terram*. I 9. IV 7 non *dignitate* quam *dignatione*. I 9 *genii* potius quam *ingenii* similitudo (*carm. X 21* qui non *ingenio*, fors placuit *genio*). II 9 nec *moras* prodere *moror*. *ibid. in caussis disparibus* dicendi *paritas*. III 2 non *ambitus* comitatu sed *ambiendus* affectu. III 12 *sacris sacrilegis* renuntiavit. IV 11 verbi gladio *secare sectas*. IV 17. VIII 14 *literis literatis* (Plin.) VII 14 incitare in se *affectat affectum*, VIII 11 *falsa* ideoque *fallentia*. IX 9 *opus operosissimum*. VIII 14 extr. pro *supplicibus supplicare*. IX 11 *aequitate . . . aequalitate*.¹⁶

Verum haec, et casibus declinata ac paulo deflexa verba et unius pluriumve literarum mutatione repetita, eiusque generis cetera artificia, quando tam immoderate frequentantur, non gratiam consequuntur sed taedium pariunt, praesertim si similia vocabula non ad dissimiles res accomodantur nec in acres sensus incidunt. Tum enim non innata est venustas orationis, sed affectatio accessita indeque frivola ac futillis. In Sidoni libris paene fastidium legis movet et propter sententiae oppositionem inanem vel nullam et propter frequentiam nimiam: namque in

¹⁶ Tali vocum similitudine carmina crebrius etiam distinxit. ep. VII 17 *carm.*

et casa cui *culmo culmina* pressa forent.

ep. III 9 *carm.* Assuetum autem *salo* timere *carm. IX 42* spretus obicibus *soli salique*. ep. X 13 *carm.* quod et *aure* et *ore* discis. ep. IX 15 *carm.* *Afer vaferque* Domnulus. IX 16 extr. Quos tamen *chordae* nequeunt sonare — *corda* sonabunt. *carm. I 3 numina numen* I 6 *fulmina fulmineo*. II 2 ac sine *fastu* — Scribere bis *fastis*. II 148 *arma* per *armos*. 219 Non *generum* sed *generosum*. *alveus alvum*. 386 *classica classes*. 499 *rivis rivalibus*. 529 a *rastris* ad *rostra*. IV 13 *serviat* ergo tibi *servati* lingua poetae. V 5 post *palmam palmata* venit. 365 per bellum ad *bella* venit. 392 *captivo* capiente trahi. 453 et *pontum* sub *ponte* daret. XXIII 44 Stagnis *flumine* merce *ponte ponto*. — V 397 *praedae praeda* fuit. VII 32 *Phoebus ephebus*. 252 *Mox feriente feris*. 44 et *ignotum* plus *notus Nile*, per ortum. 414 *sepulturus . . . sepulte*. 517 tibi *pareat orbis*, ne *pereat*. 557 *orbis* in *urbe* iacet. 570 Quae *iubet* ut *iubeas*. V 71 cum *caderet cecidit*. IX 113 *convivam fugeret* diem *fugaret*. 142 *tractus* laudibus *Hectoris trahendi*. XV 149 Cum tenet haec *telas*, vult haec plus *tela* tenere. 181 *commutat commota* manus. XVI 60 sic *mortua mors* est. XXII 178 *Fulva fruge* data iam *saecula fulva* perirent. XXIII 36 (*patria*) quae *parit parentes*. 85 *Laus est ardua dura* sustinere. 124 *Musas* non ita *musicas* putares. 276 *spicis spicula* mixta. 326 *ora* et *lora*. 353 nec *cernas cito cernuos* magistros. 357 *campus clauserat arctus arte* factus. XXIV 94 (*librum*) dimitti faciet *probatum Probus*.

verbis ad tales argutias facilibus non taedet eum iterum ac saepius eodem modo ludere (solum — salum, genius — ingenium, otium — negotium).

Iam reliquam reservavimus annominationis speciem eam, qua verborum notio additis vel variatis praepositionibus in contrarium mutatur: qua forma Tullium quoque impense delectatum esse constat, ita tamen ut modum adhiberet haud ingratae voluptati. Sidonius vero adeo effusus est in id orationis ornamentum ut simplicis concentus gratia et verba audacter novaverit neque dicendi licentiam ullam reformidaverit, cum sensus concentu insulso aut nullo. Inde illud ep. III 2 doluisti campos *sepultos* (i. e. opertas) *ossibus insepultis*, vel illa annominationum moleste continuata series, qua scriptores latinos percenset ep. IV 3 *explicat — implicat, simulat — dissimulat, suadet — dissuadet — persuadet* et ibidem paullo infra *instruit ut Hieronymus, destruit ut Lactantius, adstruit ut Augustinus*: ubi in cassum laboraverit, si quis ingeni vel iudici enucleare velit acumen. Ista scribendi consuetudo quam late pateat, his exemplorum terminis circumscribetur epp. I 3 *exclusa — inclusa. ibid. accuset — recuset. ibid. despiciabant — suspiciunt. VI 12 respicere — inspicere. VII 2 inspiciente — despiciente. VIII 14 aspectus — inspectus. VIII 6 improvisus — praevisus. I 5 circumfusa — infusa. I 7 cinctus — discinctus* (idemque I 9. V 7). *ibid. acclamatur — conclamatur. ibid. additur — redditur. II 1 dicit — addicit. ibid. exsultans — insultans, illudens — colludens. ibid. sperandum — desperandum. II 2 relegisse — perlegisse. II 5 propugnatura — impugnatura. II 12 assidentum — dissidentum. III 14 utitur — abutitur. VI 11 et III 4 impugnantum — propugnantum. IV 15 subiectos — superiectas. IV 25 discesserat — decesseratque, acclamantibus — reclamantibus. V 1 ineat — adeat. V 4 imputo — deputo. V 7 inferre — deferre, afferre — auferre. ibid. attrahunt — protrahunt — trahunt — retrahunt. V 10 eligam — diligam. VI 2 indicite — dicite. VI 3 incusare — excusare. VI 7 expetendo — repetendas. VII 1 interdiciis — praedicis. VII 5 offerunt — inferunt. VII 9 placebunt — displicebunt. VIII 6 indidit — edidit — prodidit — addidit. VIII 10 crare — perorare. VIII ut te pervenisse invenias quum venire vix sentias. IX 2 abesset — defuisset. IX 4 consequitur — sequitur. IX 9 fuistis — defuistis. ibid. exsulto — insulto. IX 14 admirabantur — mirabantur — morabantur. Neque tamen verbis continetur sed etiam in substantiva et adiectiva *παρονομασίαν* eandem transtulit cf. ep. IV 16 ad incrementa . . per detrimenta. VII 6 proficere defectu. VIII 15 te successore decessit. IX 2 plus . . affectus cordis vestri quam nostri operus effectus. III 14 non operis effectus sed auctoris affectus. VII 1 si non effectu pari, affectu certe non impari. IX 6 extr. abstinet licitis, qui illicito praesumpsit. IX 7 dispositio per caussas, positio per literas, compositio per syllabas. I 11 notis certis auctor incertus. ibid. odia certa crimine incerto. III 9 incertum mihi, an sit certa caussatio. II 8 extr. iniuste tibi iusta persoluta. II 9 dissimilis situs similiter oblectat. carm. V 57 infelix felice uno. XXII 110 non refluxus sed defluus. —*

Haec de verborum concentu hactenus. Quoniam vero is concentus vocum plerumque comitatur argutam aliquam collationem vel oppositionem sensus, deinceps quaestionem derivamus in antitheta sive contraria. Iam in aliis suae aetatis scriptoribus Sidonium vehementer miratum esse vidimus quum omnem medullam vel flammam sensuum (ep. VII 13, VIII 10), tum imprimis fulmen in clausulis (ep. IX 7) scintillasve contraversalium clausularum (ep. VII 9). Itaque ipse quoque refugiens interdum teneram delicatamque modulandi voluptatem, nervos et aculeos orationi addere studuit arguta contentionum subtilitate, cumque (id quod in Lampridio praedicat) videri vellet fortis et lacertosus, scripsit non pauca piperata, mellea multa, neque tamen ut idem ille, omnia salsa. Namque longe ultra modum provectus non raris quasi luminibus distinguit orationem, sed eam ubivis totam eiusmodi acutis oppositionibus concludit, quas curiose arcessitas et de consilio compositas esse facile apparet: quas solas captanti necesse est eum multas dicere sententias frigidas inanes atque adeo ineptas, eaque nimia multitudine omnis ingeni mucro retunditur atque hebetatur. In colligendis exemplis indiligentiae crimen ante deprecamur, si quaedam confudisse videmur, quae priori parti rectius ascribuntur propter vocum consonantiam: sunt autem ea, quae accurate secerni nequeant.

Ac primum quidem puerilis illa simplexque sensus contentio vel proprie comparatio fastidiose iteratur, qualis est in ep. VIII 6 *magna acrimonia maiore facundia, maxima disciplina* vel IX 4 *scientia fortis, fortior conscientia*. VIII 14 *bonus — melior — optimus*. IX 3 *plurima — plura*. III 7 *persona — magna exspectatione, maior adventu, relatu sublimis, inspectione sublimior*, vel illa IV 8 *dōmum novam vetus amicus*. IX 2 *novus clericus, peccator antiquus*. carm. I 2 *novus regna vetusta deus*. IV 3 *verba divitiā versus pauper* vel quae particulis tam — quam, sic — ut opponuntur, quamvis contentione non egeant, velut IX 11 *non ad vos magis quam per vos . . . non ad me magis quam in me* similia saepissime. Deinde nonnulla hoc potissimum loco subiungamus, quae in verbis iisdem vel paullo immutatis ludit, quoniam sensus magis congruentia quam soni concentus videtur quaesitus esse. ep. II 8 *saxo* carmen *saxeum* contineri. II 13 *regibus dominandi desideria dominantur*. ibid. *dominus esse . . . sub domino esse*. III 3 *patriae non minus desiderii nasciturus quam gaudii natus feceris*. III 7 *cui scribendi magis est facilitas quam facultas*. IV 9 *plus ego admiror sacerdotalem virum quam sacerdotem*. IV 7 sic *barbarorum* familiaris quod tamen nescius *barbarismorum*. IV 20 *ipsam desiderii tui impatientiam desideravi*. IV 21 *per unius oris mei officium non unius pectoris profudere secretum*. VI 12 *non unum quod unus impleveras horreum: ubi sensum acrem, si quis locum inspexerit, nequicquam requiret*. V 5 extr. *ista tibi lingua teneatur, ne ridearis, illa exerceatur ut rideas*. V 7 *quos timent etiam qui timentur*. IX 3 *sustinet iniuriam qui mittitur, qui mitti, invidiam*. VIII 8 *agrum si mediocriter colas possides, si nimium, possideris: ubi ex aliis similia congescit Savaro*. V 7 *invident . . . scholas instituendis, mercedes instituentibus, literas institutis*. V 9 *ne parentum antiquorumque nostrorum per nos forte videatur antiquata dilectio: insigne exemplum oppositionis fictae, addito vocabulo (antiquorum) per se inani ac prorsus supervacuo*. VII 9 *maxime ambiendus, quia minime ambitiosus*. VIII 3 *a divitibus ambitum nec divitias ambientem*. VII 11 *ut minus excusabiles excusaremur*. VII 18 *ante legere cessabis quam lecturire degistas*. VIII 11 *scribebat frequenter, quamquam frequentius scripturiret*. VIII 3 *ut populos sub armis, sic frenat arma sub legibus*. VIII 4 *ager . . . hospites epulis, te pascit hospitibus*. ibid. sic *rusticans multum, quod nihil rusticus*. VIII 12 *ut te non valeat enixius retinere tempus quam invitare temperies*. VIII 16 *hinc honor rarus, quod frequens usus, hinc difficilis gratia, quod facilis inventio*. IX 3 *ut non remaneamus terreni, quibus terra non remanet*. IX 7 *bene scripta laudamus, etsi laudanda non scribimus*. IX 3 *quaestiones has solve propositas, has propone solvendas*. IX 9 *loqui melius quam didiceris, vivere melius quam loquaris*. Sunt quaedam huius generis ludibria, quibus opus est interpretatione, velut illud IV 9 *venatu* utitur nec utitur *venatione* i. e. *venatur* quidem nec tamen vescitur feris deiectis.¹⁷

Verum praetermissis levioribus antithetis, quae inaniter ac saepius ridicule sunt composita (velut ep. IV 18 *elegiae nostrae quia pede claudicat, manum porrige*. VI 12 *praevenis manibus illum, qui non valuerat, pedibus ad te pervenire*. III 2 *populus Arvernus, cuius parva tuguria magnus hospes implesti*) qualium ingens est numerus, pergamus ad illud, quod ὀξύμωρον dicimus, genus componendi sententias cum futili eademque arguta sensus exacutione: in quo plurimus est Sidonius, concinnaturus orationem vividam et quodammodo incitatam, vel potius, ut ipse de Lampridio scribit, piperatam. Huc refer illa ep. I 5 extr. *totius civilitatis occupatissima vacatio*. V 7 *in otio occupationes*. II 3 *altitudinem tuam humilitate sublimas*. II 13 extr. *in crystallis calerent unguenta*

¹⁷ Nominibus propriis quomodo abusus sit ad tales nugas (cf. Fertig. l. c. pg. 18) documento sint epp. V 3 in *Constantino inconstantiam*. carm. XXIV 94 (librum) *dimitti faciet probatum Probus*. ep. VIII 11 (pg. 234) solo nomine *Rusticum* videtis. IX 1 (ad Felicem) *Felic* nomine, mente, honore, fama. carm. XVI 127 *Quidquid agis, quocumque loci es, semper nihi Faustus — Semper Honoratus, semper quoque Maximus esto*. carm. V 319 *Germanicus* esset — *Ut titulis, meritis fuerat*. ep. IV 22. *Cornelius . . . modo verius Tacitus* esset, idemque saepius, ut assolet iterare argutias semel arreptas et. carm. II 192. XXIII 153 *Corneli Tacite es tacendus ori*.

glacialibus. carm. V 139 Inter *flagrantes* perhibent *alsisse* iuencos. ep. III 13 *lumina* gerit *lumine* *caerentia.* carm. II 248 *visus* adest *oculis* *absentibus.* ep. IV 3 extr. *illiteratissimis* *literis* vacant (Plin. ep. I 10). IV 16 quodammodo *damnum* *indemne* toleravi. VII 2 nihil est viatico *levi* *gravius,* vel similes oxymoris ludicras sententias huiusmodi ep. VIII 12 in itinere *terreno* pedestre *naufragium.* VII 14 Philagrium *cordis* *oculo* semper inspicio. I 5 *metallum* *arboreum* (sc. electrum). VI 2 non minus *se* *ieiuniis* quam cibus *pauperes* *pascit.* VI 12 ut . . . saepe terseris eorum lacrymas, quorum oculos non vidisti. VII 1 (incendium) aqua potius oculorum quam fluminum posse restingui.¹⁸

Mihi vero Sidonius, sive hanc consecatur argutiarum subtilitatem sive istam verborum immanitatem (velut ep. V 7 ad intelligendum saxei . . . lignei . . . flammei . . . ferrei, ad amicitias pardi, ad facetias ursi, ad superbendum tauri, ad consumendum minotauri) illud affectasse videtur, quod stupet in Remigio ep. IX 7 „eloquium ineffabile“, eaque in dicendo „nimietate“ usus est, ut ipse etiam „se sibi praeferret“ vel „se ipse vinceret“ quibus verbis ep. VIII 10 Frontonem et Ciceronem celebrat.

Seorsum huic parti subiungam dicendi speciem ipsam quoque ab ista incitatione vel exsuperatione profectam, qua eidem verbo diversa duo vel plura substantiva apponit, ita, ut cum faceta brevitate atque insolenti comprehendat sententiam utque id verbum duplici ratione interdum interpretandum sit. Haec hisque similia comparari possunt ex epp. III 7 nostra non tam procul est a vobis *caussa* quam *patria.* V 12 tua aliud moliantur *vota* quam *iacula.* I 6 non minus est *personam* suam excolere quam *villam.* II 1 statuit nobilitas seu *patriam* dimittere seu *capillos.* IV 3 *causam* potius implere quam *paginam.* IV 17 quorum dextera solebat non *stilum* minus tractare quam *gladium.* IV 20 ita *censum* prodebat ut *studium.* III 4 non minus *vitiorum* quam *hostium* esse captivum. IV 3 equo frementi . . . non tam *cursum* deesse quam *campum.* IV 8 neque *animo* vacasse neque *corpore* neque *tempore.* IV 18 creveruntque simul — In spatiis *aedes,* *conditor* in meritis. IV 23 revertentem non *domo* solum sed et *pectore* admittas. V 5 cui statuas dederant *literae,* si *trabecae* non dedissent. VI 9 destinatum non ad me *epistolam* sed in se *sententiam* iudicavit. VII 5 extr. terminus potuerit poni vestrae *regioni* non *caritati.* VII 9 extr. non tam parvos terminos posuit *famae* natura quam *patriae.* VII 17 non *dignitatem* minus quam *membra* curvatus. VIII 4 domini plusne sit cultum *rus* an *ingenium.* VIII 9 vaticinari magis *damna* quam *carmina.* VIII 10 in. esse tibi *usui* pariter et *cordi* literas granditer gaudeo. IX 1 qui modus *paginis,* non potest poni *amicitiis.* ibid. *literae* plurimum nobis *honoris,* plus *oneris* imponunt. IX 11 librum non amplius *zothecula* quam *memoria* includet, quibus affinia sunt haec epp. II 8 virum *coelibatu,* patrem *orbitate* confodit. IV 12 illum *lectio,* me *ille* capiebat. III 2 *caritatem* *illis,* *illos* *patriae* reddidisti. ibid. *non* minus in unum *consilium* quam in unum *oppidum* revertentibus, *muri* tibi debent *plebem* *reductam,* *plebes* *reducta* *concordiam;* quocirca *satis* te *toti* *suum,* *satis* se *toti* *tuos* *aestimant;* denique in toto hoc genere palmam fert illud paradoxon uni verbo adiunctum, quod iam supra memoravimus, ep. VI 12 *non* minus *se* *ieiuniis,* quam cibus *pauperes* *pascit.*

In huiusmodi vero argutiis studiose consecandis, quarum nimia frequentia non tam incitatur quam implicatur oratio, eadem scriptoris ratio animadvertitur, ex qua cetera eius propria derivavimus. Namque sive contraria excogitat sive verba redundantia aut exsultantia exquirat sive voces similes ambiguasve pueriliter captat, semper eadem laborat tum nimietate tum *κακοζήλια,*¹⁹ qua non minus peccat etiam in adhibendis tropis, de quibus nunc erit quaestio. Atque hoc

¹⁸ Antitheta et oxymora ex versibus colligas haec ep. VII 17. carm. (pg. 208) ep. IX 13. carm. (pg. 275). carm. I 2. II 7. 58. 74. 180. 209. 219. 240. 248. III 10. V 4. 57. 71. 121. 139. 159. 180. 330. 334. 365. 392. 397. 402. 507. 533. VII 44. 252. 414. 538. IX 39. 230. XI 128. XVI 60. XXII 10. XXIII 143.

¹⁹ Quint. instt. orat. VIII 3. 56. *κακόζηλον* i. e. mala affectatio per omne dicendi genus peccat.

omnium in eloquentia vitiorum pessimum rectissime Quintilianus tum maxime cerni statuit, quod (l. c.) ingenium iudicio careat et specie boni fallatur: utrumque autem cadit in Apollinarem nostrum. Namque quum in omni genere dicendi tum in frequentandis translationibus multum a recta norma delatus est iudicio et inductus venustatis aut sublimitatis specie non temere sed de consilio figuratam dictionem fabricavit.

Atque istud dictandi genus tropologicum et figuratum, propter quod Faustum amicum summis laudibus effert ep. IX 3, per omnes eius libros diffusum est ita, ut eius exempla ne pluribus quidem paginis contineri possint: igitur, omissis verbis singulis, quae translate usurpavit, maxime insignia tantum, quantum fieri poterit ordinata, proferemus: ex quibus quid de ista orationis proprietate iudicandum sit, facile poterit statui.

Ac primum quidem quando translate scribit Sidonius, illud maxime fastidimus, quod plerumque rem collatam immisceat similitudini, qua utitur simulque translata propriaque ac sua verba confundit, idque vitiosissimum habetur, quandoquidem translatio debet admoventi ad sensus ipsos legentis, cuius animus a concipiendis rerum imaginibus procul abesse solet. Itaque et licitum neque invenustum est dicere, homini calamitoso portum aperire vel ianuam, vel retibus retineri aliquem, vel digitis aliquid contrectare: adscita enim est similitudo ad rem illustrandam oculisque quasi subiciendam. At omnis similitudo tollitur nec etsi auribus accipiatur, contemplatione concipi potest, si legitur portus securitatis ep. VI 3, vel ianua securitatis ep. III 7, vel maeroris retia II 12, vel digitis exhortationis contrectare VI 1, hisque similia I 1 portus iudicii publici . . . ancora gloriae et VII 9 publicae opinionis sarcina et IV 12 nubilum maeroris et VI 9 correptionis orbita et IV 16 trames gaudiorum. VII 9 trames consilii et V 12 fenestra libertatis et II 10 cotes studiorum, VIII 1 cos livoris, multa alia cf. infra. Simili permixtione vel potius commutatione (pertinet enim ad *ἐναλλαγῆς* speciem) quae usitatissima est translatio, insolentia quadam insignivit, quum scripsit ep. IV 21 *quaestuosae fluctuant in segetibus undae*.

Deinde illae translationes eius parum nobis probantur, in quibus arcessitae imaginis congruentiam et quasi consensum parum accurate observavit: quarum numerus satis magnus est. Improprie igitur scripsit ep. IX 2 ieiunantis linguae stipula crepitabit. II 10 nostra tubis circumfusa potioribus stipula vilescit. I 2 nullus conviva mordacis linguae felle feriatur. VI 1 manum linguae porrigis. III 2 salsi libra sermonis. IV 3 ponderis Apuleiani flumen. V 8 faceti satirarum colores, vel denique III 9. extr. *causam supplicis fluctuantem medicabilis responsi salubritate fulcite*, prorsus perverse et turbulenter scriptum, quod si sensibus subicimus, in diversa abit cogitatio nostra (fluctuare — medicabilis — fulcire).

Neque tamen in transferendo tantum desideratur dicendi proprietas. Nam quum illa quidem facile patiamur VIII 1 *linguas cote livoris acuminatas* et VI 1 *pascere monitis animam*, inusitatiora tamen et notanda sunt haec carm. XXIII 144 *oris limam expolire* et II 10 *oris limam studiorum coticibus expolitam* et deinde VI 6 *pascere esuriem*. VI 3 *sitim rigare*. VIII 14 *sitim literis irrigare*.

Sed quoniam haec prima lex est in transferendis verbis, ut sensum feriat id quod translatum sit, nihil est in Sidonio magis vituperandum quam rerum, ad quas legentium animos similitudine trahit, foeditas et turpitude. Hinc illa ep. I 7 a rebus humanis veluti vomitu nauseantis fortunae exsputus, et ep. IV 14 putrium conscientiarum squalens ulcus et VI 7 ulcerosae conscientiae nimis hiulca vulnera et VII 6 stercorea mysticis orationum rastris eruderare et totum illud de nuptiis philosophiae ep. IX 9 (pg. 264).

Denique non paucis epistolis, iis maxime quae scriptae ad episcopos, velut libri sexti septimique omnes et ex nono aliquot, res ad religionem ecclesiamque pertinentes attingunt, translationes eae continentur, quae ex imaginationibus fidei Christianae peculiaribus fluxerunt et plerumque ex scripturae sacrae similitudinibus derivatae ac quasi per manus traditae erant. Earum autem natura, maxime quum mystica fidei placita illustrantur, prorsus aversa et aliena est ab

antiquorum candore, quem si quis gustavit, immutatam et quasi peregrinam latinitatem aegre fert. Iam ubi Sidoniana illa congeries verborum enormium ac tumidorum accedit, tum fit ista spiritalis arvina et mysticus adeps (ut scriptoris ipsius verba proponam ex ep. VI 6 extr.), cuius plurima specimina invenies in ep. VI 1, quae una satis pleno testimonio esse potest, praeterea ep. VI 2. 6. 12. VII 6. 13. VIII 13, denique quod ceteris multo luculentius est exemplar, ep. VIII 14. Neque is usus opportunus aut modicus est, sed singulis locis fere continuus ita, ut in allegorias et aenigmata exeat velut ep. VII 6 pg. 182: *dum in hac allegorica Aegypto versamur* etc.

Iam si imagines adhibitas percenseas singulas, certa secernere poteris genera: in quibus tamen omnibus hoc reperies, Sidonium nimis frequentasse similitudinem semel electam, unde egestas quaedam animi percipitur. Quotiens enim illud iteravit quamvis leviter variatum, epp. IV 10 vetustae loquacitatis *orbitas* recurremus. IX 1 Plinii *orbitas* sequi. VI 9 correptionis *orbitam* non reliquit. V 16 animum a *tramite* communium gaudiorum vicinae obsidionis terror *exorbitat*. VIII 11 extr. a catholicae fidei regulis *exorbitaturum*. VII 9 *trames* consilii rectus. IX 9 a regula Sallustiani *tramitis* detortus *exorbitat*. ep. IX 13 carm. Sed tu per Calabri *tramitis* aggerem — Vis ut nostra dehinc cursitet *orbita* ep. IX 15 carm. *Rotas* Maronis arte sectans compari. carm. II 347 confestim fregit in illo — Imperii fortuna *rotas*. IX 13 sq. Non nos currimus *aggerem* vetustum — Nec quicquam invenies, ubi priorum — Antiquas terat *orbitas* Thalia. XXIV 5 antiquus tibi nec teratur *agger*. Altera similitudinum species haud minus infrequens est ea, quae ducta est a mari navibusque. Itaque etiam quasi in vestibulo totius operis hac excipimur translationis longius productae consalutatione I 1 in. iam pridem in *portu iudicii publici* post lividorum latratuum Scyllas enavigatas sufficientis *gloriae ancora* sedet, et ibid.: in hoc deinceps *famae pelagus* impellis. Similia sunt ep. VI 3 actionibus illius *portus securitatis* aperitur I 11 tribunitiis flatibus crebro *seditionum pelagus* impelleret. III 13 sub uno velut exundantis abdominis *pelago*. IV 3 lectoris intentionem . . voluptuosis excessibus quasi quibusdam *pelagi sui portibus* foveat. VIII 1 qui veluti *maria* transmisimus, hoc quasi *stagnum* pernavigemus. VIII 2 Latina tenuerunt ora *portum*, quum pertulerint arma *naufragium*; ex carminibus, praeter similitudinem per quinque strophas continuatam ep. IX 16 carm., II 537 At mea iam nimii propellunt *carbasa flatus* — Iam placido sedeat mihi *carminis ancora* fundo. III 6 Nam *famae pelagus* sidere curro suo. XXII 8 pandat *carbasa fandi*; denique simili, atque exorsus est, tropo totum librum determinat XXIV 99 sq.

Sed iam sufficit; ecce linque *portum*

Nec te pondere plus premam saburrae.

His in versibus *ancoram* levato.

Aliquanto insolentius est illud genus, quo legentem salutatur statim initio primi libri ep. I. Sed si hisce deliramentis genuinum *molarem* invidia non fixerit etc. cf. IV 22 extr. colubrinis oblatratum *molaribus* fixi. ibid. non reliquisti, cur venenato morsu secere. I 11 cui satyricus ille *morsum* dentis igniti avidius impresserat. VII 9 in obloquiorum Scyllas et in linguarum *latratus* conicere. ibid. pungentibus linguis maledicorum veluti *bicipitibus hamis* inuncabuntur.

Difficultatem quandam tardam, quae tamen et ipsa quaesita est, illa habent epp. III 1. erectis utrimque amoris *machinis*. III 13 quas domorum nequiverit *machinis* apertae simultatis impetere, *cuniculis* clandestinae prodicionis impugnat. Hoc fabricatu Daedalus noster amicitiarum *culmen aedificat*. IV 6 in pectoribus sanctitas *domum metata est* II 11 *fundamenta* certantis amicitiae . . . *exstruere*; quibus adiunge, quae item de domo desumpta sunt: epp. III 7 *ianuam securitatis* aperire. V 4 paginae garrienti *forem claudis, pessulum opponis*. V 12 spei nostrae *fenestra* resplendet. I 11 natalium eius obscuritati dedit *hiantis interregni rima* fulgorem. II 5 inextricabilem *labyrinthum* negotii multiplicis incurrit. Translationes satis vulgatas interspersit rarioribus, quum diceret tunc epp. IV 1 *moneta* disciplinarum . . . philosophica *incude* formatus, tunc IV 8 inter *officinam* litterarum, carminis si quid *incus* metrica produxerit, non minus forti et asprata *lima* poliri.

VII 17 diu desides digitos *incudibus officinae* veteris imponere. VIII 4 quotiens tui versus a meditationis *incude* tanquam adhuc calidi deferebantur. II 10 oris tui *limam* studiorum cotibus expolitam quereris *obtundi*. VIII 1 fugere linguas *cote* livoris naturalitus acuminatas. carm. XXIII 144 oris maluit expolire *limam*.

Creberrimae autem apud Sidonium, ut etiam apud alios, sunt verba ex rei militaris usu translata. Ut omittamus solita velut pedem referre, receptui canere, indutias largiri (cf. epp. II 2. III 3. III 7. IV 24), satis amplum sit documentum orationis in hunc modum figuratae ep. VI 1, ubi pg. 156. invenies: post desudatas militae Lirinensis *excubias* . . . utriusque sanctorum ordinis quendam te conclamatissimum *primipilarem* spiritalia *castra* venerentur . . . ad carnis *sarcinas* sedent, crucis diu portatae *vezilla circumfers* etc. Indidem passim dixit ep. IV 4 *militia* clericalis vel VI 7 clericale *tirocinium*, vel I 6 *militia* Palatina vel VII 2 *militias* illis in clericali potius quam in Palatino decursa *comitatu*: quibus locis militiae vox, omissa dicendi proprietate, deflexit in simplicem muneris notionem.

Denique earum similitudinum, quibus fidei Christianae praecepta illustrantur, certe specimen aliquod proponamus: quarum maxime insignes colligi possunt ex epp. VI 1. 6. 12. VII. 6. IX 4. 9. Huius igitur generis sunt illa: ut exhortationibus tuis interioris hominis maciem saepe numero mysticus adeptus et spiritalis arvina distendat (VI 6) vel: lupus qui peccatis pereuntium saginatur animarum (VII 6) vel: ad nectar caelestium poculorum per amaritudinum terrenarum calices . . . anxietatum pateras vitae praesentis propinet afflictio²⁰

Atque universas dictionis Sidoniana proprietates his fere absolvimus: ex quibus quasi in unum coeuntibus coagmentatur latinitatis species multum ab optima norma dicendi deformata. Singulas locutiones colligere supersedeo, quandoquidem difficile erit accuratam servare disserendi ordinem nec fere ullus inde percipitur fructus. In plerisque autem eadem cernitur scribendi ratio eademque affectatur aut dura quaedam gravitas²¹ aut audax translatio²² aut omnino inusitata aliqua novitas²³ vel ista, quae latissime per omnia patet, dicendi nimietas.²⁴

Iam singularum vocum insolenter immutatas notiones quamvis multas notaverim, tamen vereor, ne, si longius in istas minutias aberraverim, nequicquam cassum inutilemque laborem producam. Itaque quaestioni hunc statui terminum. —

II. Kretschmann.

²⁰ cf. VI 1 propinare mensuram. VII 7 provincias barbaris propinare.

²¹ epp. I 3 naumachias epotare. I 5 evolvere sinisteritatum relationes. III 14. VI 3 excudere responsi celeritatem; similiter Apuleius scripsit met. VIII 570 iocum construere. III 195 risum fabricare. III 197 angorem concinnare.

²² VIII 8 prati comantis exuviae. I 9 laudum convasatis acclamationibus. I 7 semifumentem praeturae nuper extortae dignitatem. I 9 heroicorum versuum phalerae. III 4 sermo phaleratus. II 9 cothurnus latiaris facundiae.

²³ ep. VIII 3 foedus innodare. V 5 desudare opulentiam. I 9 eventilare opes. IV 24 monachum agere. IV 9 monachum complere. VII 15 agricolam implere; huc etiam refer vocabula studiosissime variata velut: tabellarius, oblato, gerulus, baiulus, portitor papyri vel chartae vel apicum epp. I 5. IV 6. 7. 8. VI 8 etc. et deinde ep. IV 3 nullas vianum volas mea papyrus oneraverit. III 7 memento viatorum manus gravare chartis.

²⁴ epp. I 1 V 5 immane narratu. III 5 Arvernensis dilectio tua immane dominatur. IX 3 immane suspicio ep. ad carm. XIV. ep. VII 4. 10. granditer gaudeo, et ep. IV 25 fragores parasitici et. ep. IX 3 (pg. 276) antra palati et I 2 pili fruticant infra narium antra.

VII 17 die beiden letzten ... VIII 1 ...

Die ... VII 17 ... VIII 1 ...

Die ... VII 17 ... VIII 1 ...

Die ... VII 17 ... VIII 1 ...

Die ... VII 17 ... VIII 1 ...

Die ... VII 17 ... VIII 1 ...

Die ... VII 17 ... VIII 1 ...

Die ... VII 17 ... VIII 1 ...

Die ... VII 17 ... VIII 1 ...